DRIE

ONUITGEGEVENE LATIJNSCHE BRIEVEN

VAN

LUZAC, WYTTENBACH EN WIELAND.

Dewijl, zoover mij bekend is, geene Latijnsche brieven uitgegeven zijn van den grooten WIELAND, die het Hoogduitsch leerde schrijven met de gemakkelijkheid en de bevalligheid den *Franschen*, zoo het scheen, alleen eigen, geloof ik, in het bezit zijnde van zulk een, zeker zeldzamen, met nette en vaste hand door hem geschreven brief, geene ondïenst te doen aan het philologisch publiek met de uitgave van dit staaltje van WIELANDS latiniteit, waarin hij doet zien, hoe hij met de hem eigene juistheid en sierlijkheid zich ook in de taal van *Latium*, zoo 't noodig was, wist uit te drukken. Het schrijven is een antwoord op een brief van mijnen vader, destijds rector der Latijnsche scholen te *Harderwijk*, die het plan had, WIELANDS *Aristippus* in onze taal over te brengen, maar die zich vooraf bij den auteur vergewissen wilde, of het werk, dat in vier deelen te *Leipzig* 1800—1802 verschenen was, ook nog zou worden vervolgd. Van die vertaling is intusschen, misschien in afwachting van het toegezegde vijfde deel, niets gekomen.

Ik voeg hier nog twee brieven van twee zeer beroemde philologen bij, van LUZAC en van WYTTENBACH. LUZAC schreef den eersten aan mijn vader, zijn geliefden leerling, wien hij alles

wat zijne studien betrof mededeelde; de brief is in verschillende opzigten belangrijk en van blijvende waarde. De andere redevoering van mijn vader, door LUZAC met de woorden » ad *geminam* quidem orationem," bedoeld, heeft ten titel: IANI TEN BRINK *Oratio de Graecorum Romanorumque scriptorum studio, hac etiam philosophiae luce praestantissimo, publice habita die* XIII Decembris, CIƆIƆCCXCIX, *quum in Gymnasio* Harderviceno *Rectoris munus solemniter auspicaretur.* Hardervici apud E. TIJHOFF, *Acad. Typogr.*

De tweede brief eindelijk is wel kort, maar toch belangrijk, als van WYTTENBACH. Hij diende, gelijk men ziet, ter beantwoording van de toezending van eenige conjecturen op MUSONIUS, waardoor tevens de blaam van verkeerde geruchten was afgeweerd.

Appingadam 20 *April* 1853. B. TEN BRINK.

IANO TEN BRINK

VIRO AMICISSIMO, INTEGERRIMO

S. P. J. LUZAC.

Tertium a Te munus accepi, orationem *pro Graecae Linguae studio*, elegantem sane, mihique periucundam, et necdum responderam ad litteras, quas die 15° Januarii 1801 ad me dederas cum altero munusculo, Dialogo Platonis, Batavâ a Te veste ornato. Nihil est in illis, quae identidem ad me misisti, quod non valde placuerit, quippe quae cuncta industriam tuam probent et in evolvendis cum curâ monumentis praestantissimae antiquitatis adsiduitatem, diligentiam, judicium etiam atque acumen. — Quod vero ad geminam quidem orationem attinet, ex iis, quantum profeceris in facultate Latine scribendi, id est pure eoque colore, qui facilem optimorum scriptorum imitationem referat, cum voluptate intellexi. Ista certa facultas, sine qua Litteratum dici pudeat, non tam parabilis est, quam vulgo existimant; et tamen, qui illâ careat, stationem, qualem Tu tenes, cum laude tueri vix possit. Perge itaque in illo studio, mi Tenbrincki. Aliquando (sic vere auguror) merita laborum

praemia feres. Litteras porro Graecas a Te neutiquam negligi, documento sunt Dialogi PLATONIS, quos in patriam vertisse linguam non est quod Te poeniteat. CICERONEM tuum operae auctorem habes, quem quis ignorat XENOPHONTIS Oeconomica, orationes DEMOSTHENIS atque AESCHINIS adversarias, ARATI Phaenomena, PLATONIS denique TIMAEUM, aliaque Latino sermone interpretatum esse, atque ita interpretatum, ut si vel totus hic superesset labor Tullianus, vel plura ex illo fragmenta, perfectissimo aptissimae et facundissimae interpretationis exemplari summâ cum voluptate fructuque uteremur, quotquot verae imitationis studio ducimur. Subiunctae subinde Dialogis notae suam quoque commendationem habent. Caeterum istiusmodi opera, etsi tenuis videri posset nonnullis, quibus sua ipsorum laus communi salute carior est, utilitate suâ multum praestat in formandis, excitandis, emendandis civium ingeniis. Ego autem semper sic existimavi, nisi utile sit quod facimus, stultam atque inanem esse gloriam. Neque tamen Tu in istis unice haerebis, sed sumes Tibi aliquem scriptorem, seu aliquod argumentum, ex Graecis Latinisve litteris petitum, in quo ornando atque elaborando lentâ cum curâ omne tempus collocabis, quod Tibi a publicis officiis et domesticis occupationibus reliquum erit. *De calumniatoribus Socratis* publice me admonuisti, iure ac merito, quippe qui, qua in scriptione iam verser, ignoras. Et tamen currenti calcar ut adderetur, haud erat necesse. Etenim adfectam de *Analogiâ Graecâ* Diatriben paullisper intermisi, ut *Lectionum Atticarum* primum volumen absolverem. Prior illius voluminis pars iam descripta est et ad praelum parata, altera propemodum confecta; tertia restat, quam an duabus prioribus nunc addam, dubito. In istis autem *Lectionibus Atticis* nondum mihi res est cum ANYTO, LYCONE aut MELITO, quibus secunda cura inpendetur, verum cum Aristotelicis ARISTOXENO, SATYRO, HIERONYMO RHODIO, PORPHYRIO item, et Patribus Ecclesiae SOCRATEM calumniatis, denique cum Patronis Polyhistorum Peripateticorum. Nimirum διγαμία SOCRATIS libri argumentum est, qua occasione de fide *Historiae Philosophiae* plura disputantur; parum (ut opinor) meditata ac perspecta illis, qui *Historiae Philosophicae* se *Professores* ambitiose dici gestiunt. Tum in tertiâ parte Leges Connubiorum apud Athenienses, eâdem ἀφορμῇ mihi datâ, ex-

ponentur. Si deus domesticum otium cum viribus porro largiatur, vitam dico a sollicitudinibus liberam, quas fato extremo, periculis, ac morbis meorum per hosce tres annos saepius expertus sum, — si tranquilla igitur mente frui mihi contingat, *Lectiones* meae *Atticae* intra paucos menses a Te legentur; cujus judicium antequam in vulgus exeant, experiar lubens. Vale Tu etiam; mi Tenbrincki, cum Tuis, res tuas prospere et gnaviter agas, meque Tui amantem, uti facis, ames.

In suburbano ad Leidam 9 Augusti 1801.

Inclusas ad Nieuhoffium V. C.
litteras Tibi commendo.

D. WYTTENBACHIUS IANO TENBRINKIO

V. D. S.

Literae tuae V. D. plusne mihi voluptatis an admirationis attulerint, non facile statuam. Nam et mirabar, eum ad me scribere, quem plerique ajebant eum esse, qui in libello, nescio quo, menstruo, nuper in me invectus esset. Et laetabar, istum falsum fuisse rumorem, quod et literae eum tuae, nisi disertis verbis, tamen humanitate tua, refutare videbantur: et quod sub ipsum earum mihi redditarum tempus forte apud me erat qui KEMPERI nostri nomine mihi affirmaret, mendacem istam de Te fabulam ferri. Itaque voluptas admirationem vicit; eoque Tibi libentius respondi. Etenim, ut istorum libellorum, et omnino vulgi, * * * nil movear, tamen acerbius ad generosum animum accidunt, si quando ab iis venient, de quibus non male se meritum putet.

Quod conjecturas mihi tuas in Musonii anecdota impertis, idem certatim fecerunt alii: cum Eldicius, in his Literis praecipuus, tum tres de meis, qui nunc sunt, discipulis, a quibus tuas, quas quidem probem, occupatas cognovi: caeterum facultatem industriamque tuam agnovi. Sed de hoc nunc argumento scribere, longum est, et illorum et tui rationem habebo in altero, si quando, Philomathiae libro. Tu V. D. quod

facis, et Literis gnaviter operari, et cathedram tuam ornare, et mihi favere perge. Vale. Scripsi Lugd. Bat. d. III Mart. a. MDCCCX.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO

J. TEN BRINK

S. P. D.

CHRISTOPHOR. MARTINUS WIELAND.

Ex humanissimis tuis litteris, Clarissime Brinki, summa cum voluptate et Tuum in me animum cognovi, et consilium Tuum de Aristippo nostro in vernaculam linguam convertendo edoctus sum, quod Tibi non sine Musarum numine in mentem venisse eo lubentius crediderim, cum libellorum meorum, invita Minerva, Gallicam, Anglicam, et si Diis placet, etiam Belgicam linguam balbutire coactorum, tristis me subit memoria. Summopere igitur gaudeo Aristippum meum Tibi, Viro bonarum omnium, imprimis Graecarum litterarum et amantissimo et peritissimo, non indignum visum esse, cuius interpretationi lucubrationum Tuarum partem haud exiguam impendas. Opus hoc qualecunque libris quatuor, qui exstant, absolutum non esse rectissime sensisti. Restant scilicet quaecunque Aristippo iam seniori viginti annorum spatio acciderunt memoratu digniora, praecipue in aula Dionysii regis; restat doctrinae Aristippeae luculenta et rite concinnata expositio; restat forsan et probabilis ac a multis, ut videtur, desideratus exitus Laidis *τῆς καλῆς*. Haec omnia libro uno, qui quintus erit totius operis, comprehendere iam dudum apud me constitui: an vero et quando mihi, homini septuagenario, curis, officiis et interpellationibus omnis generis distracto, tantum otii erit, ut manum operi admovere possim, *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*. — Vale interim, Vir doctissime, res tuas age feliciter et mihi studiisque meis favere perge. Wimariae VI. Calend. Octob. CIƆIƆCCCIII.